

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8489

Auteur(s) : Geoffroy Plantagenêt, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Le Mans, Saint-Nicolas (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1146

Lieu d'émission : Le Mans

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

CHARTE DE GEOFFROY PLANTAGENET POUR SAINT-NICOLAS DU MANS.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, *Histoire de l'église du Mans*, Paris, Julien, Lanier, 1851-1871, 10 vol., t. 4, n° XL ter, p. 554-555.

Texte d'après a

Quacumque larga fidelium disponit caritatis benignitas ut certius et veratius ad posterorum perveniat memoriam, oportet ea scripto commendare, cujusque patrocinio roborari. Ego G. (Gaufridus Plantagenet) dux Normannorum, et comes Andegavensium, omnibus tam presentibus quam futuris et qui litteras istas viderint, audierint, vel legerint, notum et certum fieri volo : quod quedam pax et concordia facta est et firmata inter me et Fulconem abbatem ab Oratorio, ejusdemque monasterii monachos, de quadam controversia que inter nos exorta erat,... de quibus videlicet medietariis suis de Corneiaco et Burgo sancti Nicholai Cenomanensi, que Fulco comes, pater meus et Eremburgis comitissa, mater mea, Ecclesie de Oratorio in elemosina dederant. Audieram siquidem per abbatem cisterciensem quod monachi istius religionis illas medietarias et burgum, secundum ordinis sui instituta, legitime tenere non poterant. Sed, ne eis viderer injurius, consilio meorum usus hominum pro animabus patris mei et matris mee, que in eadem ecclesia jacet sepulta, et antecessorum meorum et mea, consideravi et disposui quod predicto abbati et monachis, pro eisdem medietariis et burgo, singulis annis, de justis redditibus meis Cenomanis octo libras cenomanensis monete, in Natali Domini totas simul reddendas, ad luminare ecclesie de Oratorio faciendum, darem et persolverem. — Ego vero easdem medietarias Fulconi de Cleers, pro suo servicio dedi habendasque concessi. Pro quo dono ipse meus ligeshomo factus est, perpetuamque stationem apud castrum...(Selopes) vel Selonnes spondit.

Et ut hec concordia et conventio per succedentia tempora rata sit et inviolabilis permaneat, presentes litteras (inde fieri) easque sigilli mei attestazione muniri precepi.

Hoc autem factum est in cenomanensi civitate, me presente, videntibus et audientibus Guillelmo tunc temporis episcopo ejusdem urbis, Roberto Bugerico, cantore. — Philippo, archidiacono. — Bercrinis, notario meo. — Boterio, pincerna meo. — Cenomanis feliciter. — Hugone de Cleers, senescallo de Fixa. — Philippo de Pontonio. — Radulpho de Rivellone. — Goscelino de Turre, tunc impense mee administratore. — Pagano Nardoc, villico Cenomanensi. — Pagano Malocane, custode turre cenomanensis. — Gosfredo Durandi, camerario. — Guisberto, garda robam.

Facta est autem hec cartula jussu G. supra scripto principis anno verbi incarnati MCXLVI, domino Eugenio, cisterciensis religionis monacho, Papa, Ludovico rege Francorum, anno quo cum aliis viris illustribus crucem sumpsit, Hugone episcopo metropolitano Turronensi, Elgerio episcopo Andecavense. — Guillelmo Cenomanensi episcopo. Garferdo Normannorum duce et Andegavorum comite. — Rainaldo Cisterciensi abbate. — Fulcone oratorii patre. — Amen.